



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 224. An specialiter peccet, qui orat cum actuali proposito peccandi mortaliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Nav. Bonart. & alii communiter cum Gob. n. 846. Et si quis eam advertens negligenter repellat, peccat tantum venialiter, *Bonart. & alii.* Rectè autem monet *Nav.*, eum, qui vult attendere, non debere se occupare in cogitando, an attendat necne, nam sic cogitando, & metuendo, ne non attendat, re ipsa distrahitur, quia, uti rectè advertit *Caj.*, velle attendere non est attendere, sed tantum pro objecto habere attentionem.

1347 §. V. Media attentè orandi suggerit sequentia *Petrus Faber* in 1. p. hist. Societ. JESU: c. 3. n. 35. 1. Interponere preces jaculatorias. 2. Quandoque breviter renovare propositum & intentionem bene orandi. 3. Præmeditari Christi passionem. 4. Observare locum opportunum. 5. Sibi proponere Sanctum, de quo est Officium, ejusque verba & actiones. 6. Negotia antea deponere, sive seponere sollicitudinem craftini & aliarum rerum. 7. Cum mente pacisci, ut hunc saltem psalmum attentè dicat. 8. Cogitare Deum præsentem, aut se cum Beatis alternare in laudando Deo. 9. Dolere ab una oratione ad aliam, si minùs bene cessit. Facillimum medium videtur esse pro homine intelligente, si affigat intellectum ad sensum verborum, & voluntatem applicet ad affectus, qui suggeruntur per verba.

1348 Q. 224. An specialiter peccet, qui orat cum actuali proposito peccandi mortaliter. R. Negant *Nav. & Sanch.* in Conf. l. 7. c. 2. d. 9. & 10. adduntque nihil referre, quòd hoc fiat in choro, etiam in sacris vestibus, quia hæc officia non sunt actus Ordinis sacri, quamvis ab Ecclesia quodammodo appropientur personis in Ordine sacro constitutis: è contrà talem peccare peccato specialis malitiæ docet *Maya* T. I. tr. 2. d. 2. q. 1. n. 7.; quod etiam dicere debent relati n. 1342., qui putant ab Ecclesia præcipi devotionem inter-

internam in Horis; & ratio hic specialis est, quia in hoc est specialis indecentia, cum circumstantia necessaria orationis sit reverentia & submissio ad Deum; ideoque *Med.* putat per hoc peccari mortaliter, *Corduba* autem venialiter tantum, quod videtur probabilius.

Q. 225. *An sit obligatio orandi cum spe vel fide.* 1349
 R. Negative, nam spes tantum est necessaria ad impetrandum, uti notant *Suar.* de Relig. T. 2. l. 1. c. 24. *Fil.* t. 22. n. 255. *Côn.* de spe d. 19. n. 117. Nec plus videtur velle *Becan.* de spe c. 17. q. 7. n. 7.; spes autem non est necessaria ad orationem, prout hæc est laus & cultus Dei, uti nec fides, nam Deus à beatis laudatur & colitur, licet ab his absit omnis, actualis saltem fides ac spes: potestque etiam esse oratio, prout est petitio, quamvis absit ita expressa fides ac spes, rectè enim dicit *Castrop.* t. 5. p. 4. n. 3. & *Escob.* in Th. mor. l. 48. n. 86. sufficere spem implicitam & virtualementem, quæ semper adsit, si petatur aliquid, quia si non esset spes obtinendi, non peteretur. Nec dicas orationem debere esse supernaturalem, ideoque præsupponendam fidem & spem, secundum dicta l. 2. à n. 21. Nam oratio potest esse actus planè naturalis, imò & peccaminosus, v. g. si quis oret ex vana gloria vel distractè, per talem autem orationem naturalem satisfieri præcepto docet expressè *Suar.* supra l. 3. c. 3. n. 5., addens neminem hoc negare.

Q. 226. *Quanam specialiter pro scrupuloso hic sint notanda.* R. Seqq. 1350

§. I. Qui recitavit, non potest prudenter dubitare de habita intentione sufficiente ad satisfaciendum, secundum dicta à n. 1326. Statque intentio requisita cum distractione etiam voluntaria, & quamvis per distractionem amissa esset, sufficienter redit